



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Concilivm Contra Paganos Et Haereticos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

buscumque episcopis, clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quod si adhuc eiusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adiungatur, quomodo solet, Post consulatum, in publicis gestis adscribi.

Placuit & illud, vt aduersus Donatistas & paganos, vel eorum superstitiones, legati missi de hoc glorioso Concilio, quidquid vtile peruiderint, a gloriosissimis principibus impetrent.

Placuit etiam petitu omnium episcoporum, vt epistolis omnibus de Cōcilio dandis, sanctitas tua sola subscribat. Et subscripserunt: Aurelius episcopus Carthaginensis huic Decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscripserunt.

CONCILIVM CONTRA PAGANOS
ET HÆRETICOS.

BASSO & Philippo viris clarissimis consulibus, XVI. Kalendas Iulias, Carthagine in secretario basilicæ Restituta. In hoc Concilio legationem iterum suscepit Fortunatianus episcopus contra paganos & hæreticos.

Harū dñarum Synodorum causam & res gestas, vide supra in notis Concilii Africani V. & VI. sub Innocentio, anno 408.

ITEM CONCILIVM CONTRA
PAGANOS ET HÆRETICOS.

BASSO & Philippo viris clarissimis consulibus, III. Idus Octobris, Carthagine. In hoc Concilio susceperunt legationem Restitutus, & Florentius episcopi contra paganos & hæreticos, eo tempore quo Seuerus & Macarius occisi sunt. Et propter eorum causam Euodius & Theasius & Victor episcopi cæsi sunt.